

rint canonicum impedimentum contrahere. (Innoc. XII, Const. *Speculatores*, 4 Nov. 1694) Haec autem moralis possibilitas probabilis adest, quotiens candidatus mansit *per sex menses* in aliena dioecesi, postquam septennium complevit. (Gasp. op. cit. n. 731) Sic, ut decrevit S. C. C. 11 Jul. 1840, clerici qui in aliquo seminario studuerunt, ab episcopo quidem proprio ordinandi sunt, sed ad eum afferre debent testimoniales ab episcopo loci in quo situm est seminarium. Nec sufficere litteras moderatoris seminarii, respondit S. C. C. 14 Jul. 1894. (Act. S. S. t. 27. p. 162) Si candidatus in aliena dioecesi servitio militari addictus fuit, juxta resp. S. C. C. 9 Sept. 1893 et 26 Jan. 1895, requiruntur testimoniales Ordinarii in cujus dioecesi per *trimestre* spatium commoratus fuerit, et, si hujus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, episcopus proprius, obtenta ad hoc facultate a S. Sede, provideat per juramentum supplementarium. (N. R. Th. t. 26. p. 12 et t. 27. p. 364)

Regularibus ordinandis sufficiunt litterae dimissoriae Superioris sui, in quibus idem simul testetur absentiam cujuslibet impedimenti canonici, quocumque medio Superior ad eam cognitionem pervenerit. (Gasp. op. cit. n. 74)

IX. Ex praescripto Pontif. Rom. injungi solent ab episcopo ordinatis in diaconos vel subdiaconos quaedam preces dicendae, ordinatis in presbyteros quaedam Missae celebrandae, puta de Spiritu Sancto, de B. M. V. et pro defunctis. Probabile est, juxta S. Alph. (n. 829), hanc obligationem non esse sub peccato, sed merae decentiae. Quodsi episcopus recitandum injungit *Nocturnum talis diei*, id intellegendum est de Nocturno feriali cum suis antiphonis et lectionibus, aut, si ordinatio die Dominica facta sit, de primo Nocturno Dominicae. (S. C. R. 11 Aug. 1860) Missas vero praescriptas sufficit dicere primo die quo juxta Rubricas licet; nec quidquam obstat quominus pro iis stipendium accipiatur.

TRACTATUS XVIII.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

§ I. DE SPONSALIIUM NATURA.

440. DEFINITIO. Sponsalia sunt promissio deliberata et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas habiles. Nempe :

1^o *Promissio*, quae probe discernenda est a mero proposito ineundi matrimonii quod enuntietur absque intentione sibi novam obligationem imponendi. (Vol. I. n. 606) Sic, nisi circumstantiae contrarium suadeant, merum propositum enuntiant haec verba : *Volo te in uxorem ducere.*

2^o *Deliberata*, seu cum perfecta cognitione et consensu facta : secus enim non esset actus plene deliberatus, qui solus potest ortum dare gravi obligationi in contractibus. (Vol. I. n. 586) Hinc communiter dicitur requiri deliberationem sufficientem ad mortaliter peccandum. Inde tamen concludendum non est capacem esse ineundi contractum sponsalium quicumque mortaliter peccare possit : nam facilius percipitur malitia violationis praecepti in praesenti quam onus gravis obligationis in futurum, quae per sponsalia assumitur. (S. Th. Suppl. q. 43. a. 2) Cfr. Vol. I. n. 312. Quare regulariter ad sponsalia ineunda requiritur et sufficit septennium completum ; irrita vero sunt sponsalia a parentibus contracta pro infantibus suis (ut mos habet in quibusdam regionibus ethnicis), etiamsi altera pars jam sit adulta.

3^o *Mutua*, scil. non sufficit ut promissio ab una parte facta ab altera acceptetur, sed necesse est ut haec quoque repromittat. Quodsi haec

repromissio deficit, obligabitur quidem pars promittens erga eam quae acceptavit, sed tantum vi simplicis promissionis, non vi sponsalium, neque cum juridicis sponsalium effectibus. Insuper necessarium est ut promissio facta statim accipiatur, nisi pars promittens se obligaverit ad expectandam alterius acceptationem: promissio enim quae non statim admittitur, censetur sperni et evanescit.

Attamen non raro acceptatio promissionis involvit repromissionem. Id in foro externo dijudicandum est e circumstantiis. Sic virtualiter repromittere censenda esset mulier honesta quae, post acceptationem promissionis, ad deflorationem se induci patitur, vel quae acceptat postquam in praesentia aliorum de sponsalibus hic et nunc contrahendis actum fuit. In foro tamen interno semper imprimis ad veram intentionem acceptantis attendendum. (Ball. P. n. 40; Aichner, Comp. J. Ecc. § 159)

4^o *Signo sensibili expressa.* quodcumque tandem fuerit, sive verba, sive nutus, sive scripta. Ratio est: quia contractus inter homines non fit nisi signo externo. (Vol. I. n. 585) Unde non sufficit ad sponsalia taciturnitas Caiæ, etiam cum consensu interno in promissionem matrimonii quod Titius ei promittit.

Ex dispositione Juris Canonici (Cap. un. de Desponsat. impub. in 6^o), in foro externo, valida judicanda sunt sponsalia quae parentes pro liberis suis contraxerint, dummodo hi non contradixerint, neque metu reverentiali ad silendum compulsi fuerint. (Vol. I. n. 10) Sed talis usus longe a moribus nostris est; et, si quando casus contingeret, nulla obligatio in foro interno exsurgeret, quando liberi interne dissensissent vel nullum consensum dedissent. (S. Alph. l. 6. n. 838)

5^o *Inter personas habiles,* i. e. quae valide et licite possunt matrimonium contrahere. Invalida enim est promissio rei quae non est in potestate promittentis, vel ab eo sine peccato praestari nequit. Ideo nulla sunt sponsalia quae absolute contrahantur inter personas impedimento dirimenti vel etiam impediendi subjectas.

441. ASSERTA. I. Ad valorem sponsalium parum refert utrum sint *publica* an *clandestina*, i. e. utrum iisdem interfuerint testes specialiter ad hoc rogati, an, sine talium testium interventu, res solo contrahentium consensu peracta sit. Pariter ad valorem nihil refert iisdem intervenire auctoritatem ecclesiasticam, quo in casu *sollemnia* vocantur, vel manere mere *privata*. Attamen, ad vitanda varia incommoda e clandestinis sponsalibus oriunda, episcopi quandoque praescribunt ut coram parocho et testibus peragantur: quamquam hanc condicionem ad valorem requirere nequeunt. Immo in Hispania consuetudine inductum est ut invalida sint sponsalia absque publica scripturâ inita. (S. C. C. 31 Jan. 1880)

II. Sponsalia e metu gravi et injuste incusso inita probabilius valent, sed rescindi possunt ad nutum illius qui metum passus est. Cfr. dicta de contractibus in genere, Vol. I. n. 591. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 1. n. 427 seqq.)

Plures tamen qui eandem nobiscum sententiam de reliquis contractibus tenent, ex. gr. S. Alph. (n. 844), sponsalia e tali metu inita prorsus invalida reputant. Moventur praecipue hac ratione: legis dispositio de matrimonio trahitur ad sponsalia, nisi contrarium statuatur; igitur sicut matrimonia, ita et sponsalia metu extorta prorsus irrita sunt. (l. Oratio, 16 ff. de Spons.) Verum, etiamsi concedatur hanc legem, quae per se mere civilis est, fuisse *canonizatam*, hic occurrit manifesta ratio disparitatis inter matrimonium et sponsalia statuendae: nam matrimonium semel contractum dissolvi nequit, dum sponsalia multis modis solvi possunt.

Pariter metus relative levis sponsalia quibus ortum dedit, non reddit nulla, sed rescindibilia ad nutum partis quae metum passa sit. Cfr. Vol. I. n. 592. Attamen, etiam in hoc casu, alii (Ball. P. n. 114) sponsalia prorsus invalida reputant. Igitur, propter probabilitatem hujus sententiae, non videtur in rigore obliganda pars quae metum intulit ad ineundum matrimonium, si id forte vellet pars metum passa: quod multo magis tenendum est, ubi metus fuerit saltem relative gravis.

Si in contractu sponsalicio intervenit error vel dolus, applicanda sunt quae universe de contractibus ex errore vel dolo initis dicta sunt, Vol. I. n. 589 seqq.

III. Quando verba vel signa dubia sunt, in foro conscientiae standum est intentioni contrahentium. Verba enim non habent vim obligandi, nisi dependenter ab interna intentione qua quis se obligare velit, neque homo subest obligationi contractus nisi e propria voluntate. (Vol. I. n. 585) Sed in foro externo standum est communiori significationi verborum determinatae juxta locorum consuetudinem, personarum adjuncta, etc. Quodsi, pensatis omnibus, dubium manet, in foro externo, et multo magis in interno, judicandum est contra obligationem sponsalitiâ, tum quia jura promptiora sunt ad solvendum quam ad ligandum, tum quia matrimonia nolentibus imposita solent habere funestos exitus. (Schmalzgr. l. c. n. 6)

442. QUAER. I. Num valeant sponsalia condionate contracta inter personas aliquo impedimento laborantes.

RESP. 1^o Valent certe sponsalia inita cum intentione contrahendi matrimonii tempore quo impedimentum cessaverit, vel ex seipso, ut si impedimentum esset aetas impubes, temporaneum castitatis votum,

etc., vel ex libera contrahentium voluntate, ex. gr. si pars catholica sponsalia iniret cum haeretica, sub condicione contrahendi matrimonii quando haec ad fidem catholicam regressa foret.

2^o Non valent sponsalia contracta inter tales personas, quando impedimentum sola dispensatione cessare potest, sed ex iis est in quibus Papa dispensare nequeat vel numquam soleat, ex. gr. inter fratrem et sororem; vel si Papa in impedimento dispensare quidem solet, sed desunt causae sufficientes ob quas dispensatio obtineatur. In utroque enim casu objectum contractus censendum est impossibile.

3^o Valent sponsalia hujusmodi quando, obtenta jam dispensatione, consensus renovatur vel explicite vel implicite, ex. gr. procedendo ad proclamationes: tunc enim personae jam habiles sunt.

4^o Si impedimentum est dispensabile adsuntque causae sufficientes ad dispensandum, probabilius valent sponsalia inita sub condicione: " Si Papa dispensaverit. „ Ratio est: quia talis condicio neque ut turpis, neque ut impossibilis haberi potest. Sic et alii actus in Jure Canonico valent sub condicione consensus a Principe impetrandi, ex. gr. resignatio beneficii cum pensione sub condicione quod Papa approbaverit. Ita multi DD. tum antiquiores (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 5 n. 82), tum recentiores. (S. Alph. n. 843; Ball. P. n. 101)

Nihilominus probabilis et tuta est sententia nullitatem talium sponsalium asserens, quam cum pluribus antiquioribus tenent Feye (de Imp. et Disp. n. 394), Aichner (Comp. J. Eccl. § 159), De Becker (de Spons. et Matr. p. 14). Afferunt rationem intrinsecam: eos qui inhabiles sunt ad matrimonium, censi etiam inhabiles ad sponsalia, sive absolute, sive condionate contrahenda. Si enim hujusmodi sponsalia condionate contracta valerent, statim ab initio, dum contrahuntur, valida et obligatoria esse deberent. Nam dispensatio, deinceps re ipsa obtenta, hanc tantummodo vim habet ut personae, ex tempore obtentae et ipsis communicatae dispensationis, fiant habiles ad valida sponsalia contrahenda, non vero ut firmetur actus ante obtentam dispensationem gestus inter personas perpetuo jure inhabiles. Nam " non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. „ (Reg. J. 18^a in 6^o) Praecipue nituntur praxi S. Rotae Romanae et decisionibus S. C. C. quae, in causis Brugnat. 26 Jan. 1707 et Januen. 12 Dec. 1733, statuit sponsalia in iis adjunctis contracta non sustineri. Hoc tamen argumentum minime apodicticum est. Etenim in his causis, S. C. sententiam tulisse videtur tantum in favorem illius qui a contractu recedebat ante condicionem impletam: quare non apparet quo jure haec responsa applicentur casibus in quibus jam impleta sit condicio, quae necessaria est ut absolute valeant sponsalia. (Ball. P. n. 102 sqq.) Sed si impedimentum ex iis est in quibus Ecclesia velut invita dispensat, ut sunt impedimentum

dirimens disparitatis cultus (n. 487) et impediens mixtae religionis (n. 517), praxis Ecclesiae multo manifestius sponsalium cum iisdem contractorum nullitatem demonstrat. Ita S. Inqu. in Instr. 12 Dec. 1888 ad Episc. Rit. Orient. data (Coll. P. F. n. 1444), illicita atque adeo invalida esse docet sponsalia inter partem catholicam et alteram schismaticam seu haeticam, antequam obtenta sit dispensatio, celebrata.

443. QUAER. II. Num ante vel post contractum sponsalium manifestandi sint defectus occulti quibus singulae partes laborent.

RESP. 1^o Nullus tenetur aperire defectus qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen perniciosas, praesertim si aliquam infamiam habeant adjunctam, ex. gr. si sponsa vi vel sponte fuisset corrupta, dummodo tamen contrarium positive verbo factove non simulet, potestque interrogatus licite dissimulare et contrahere matrimonium, Ratio desumitur tum e consuetudine, tum ex eo quod nemo obligatur ad propalandum suum defectum cum propria infamia, si non laedat jus alterius.

2^o Non licet dissimulare defectus qui futuri sint perniciosi, ex. gr. morbum contagiosum, praesertim venereum, gravem infamiam personae vel familiae, praegnationem ex copula cum alio ortam, etc. Id a fortiori concluditur ex injustitia, quae committitur ab eo qui vendit merces noxias credenti bonas. (Bus. ap. S. Alph. n. 863) Cfr. Vol. I. n. 629.

§ 2. DE SPONSALIIUM OBLIGATIONE.

444. I. Nulla datur obligatio praemittendi sponsalia matrimonio: nulla enim inordinatio in eorum omissione cernitur, neque ulla lege ecclesiastica sponsalia matrimonio praemitti jubentur. Congruè tamen eidem praemittuntur, juxta morem quem Ecclesia, a Judaeis, aliisque antiquissimis gentibus acceptum, jugiter tenuit. Juvat enim hoc quasi praeludium matrimonii ut contractus quo vir et mulier se mutuo ad perpetuam et maxime intimam societatem juncturi sunt, maturius ineatur. Juvant etiam sponsalia ut christiani majore reverentia suscipiant matrimonii sacramentum, cui velut quaedam sacramentalia praemittuntur. (S. Th. 4. dist. 27. q. 2. a. 1) Neque vituperari possunt quasi justam matrimonii ineundi libertatem auferant vel ad infaustas nuptias impellant, dum index ad hunc contractum implendum adiget (quod ceteroquin a praxi hodierna fere alienum est). Etenim non est supponendum partem alteram, a qua pendet causae prosecutio vel remissio, instare velle ut pars infidelis matrimonium ineat cujus exitus sit futurus infaustus, atque